
Nomina, à quibus & cur indita



FRICA ſequitur. Ea ſic dicta eſt, ſi Niciæ credimus, ab *Afro* quodam ſocio Herculis, qui eum ad Gades uſque comitatus eſt: ſin Ioſepho & Iſidoro, ab uno ex poſteris Abrahæ, cui nomen *Afer*: vel ut Feſtus autumat, à Græco φρίκη, quod horrorem denotat, eſtenim horroris expers, quum ſita ſit inter Tropicos. Arabes *Fricchiam* vocant, à verbo *Faruca* quod ipſis eſt dividere: eſt enim Africa à cæteris terræ partibus ferè diviſa, vel ab *Ifrico* Arabiæ Felicis Rege, quem primum omnium has terras ferunt coluiſſe. Græci *Libyam* vocant vel à Libya Epaphi filia, vel quia λιφύη; vel quod inde *Lips* ventus ſpiret. In Sacris literis *Chameſia*, ab Arabibus & Æthiopibus *Alkebu lam*, & ab Indis *Beſecath* nominatur. AEquinoctialis Circulus mediam fere Africam ſecat. Tropici eam nondum excedunt: ſed ipſa utrimque Tropicos gradibus decem atque amplius. Terminatur ad Septentrionem Mari Mediterraneo & Freto Herculeo,

Situs.

ad Ortum Sinu Arabico ſive Mari Erythræo, & Iſthmo, qui eſt inter Mare Mediterraneum & Sinum Arabicũ. Ad Meridiem alluitur Oceano AEthiopico: ad Occaſum Atlantico. Formã habet Peninſulæ quæ Iſthmo, quem retuli, Aſiæ conjungitur. Etſi verò eius longitudo quæ ab Occaſu ad Ortũ patet, brevior ſit Europæ longitudine, tamen reliqua pars ad Auſtrum tantùm ſeſe extendit, ut ei Europa vix conferri poſſit: habet enim ſpatium graduum pene 70. Europa verò vix graduum 35. Preterea Europa tota ſinuoſa eſt, Africa uniformis & continua. Sed Europa, ut in eius deſcriptione diximus, cultiſſima: hæc multis locis deſerta. Illa jam olim nota, hæc

Soli fertilitas.

non. Quantum incolitur Africa fertilitate præſtat. Verùm magnâ parte inculta eſt, & vel arenis ſterilibus obducta, vel ad Situm Cœli deſerta, vel multo ac malefico Animalium genere infeſta. Eximia & propemodũ portentoſa agrorum narratur feracitas, utpote qui locis quibuſdam centeſimo fœnore reddant cultoribus meſſem. Mirum eſt quod de Mauritaniæ ubertate dicitur: reperiri in ea vites, quas duorum Hominum complexus capere non poſſit, uvarumque racemos cubitales. Arbores circa Atlantem proceritate inſigni, enodi nitore, folio cu-

Animalium varietas.

pteſsi. Alit & *Africa* Elephantes & Dracones, qui ipſis belluis inſidiantur, ſuoque complexu enecant: Leones, Bubalos, Pardales, Capreas & Simias quibuſdam locis ſupra modum frequentes. Herodotus Aſinos cornutos ibi naſci author eſt. Dracones inſuper, Hyenas, Hiſtrices, agreſtes Arietes, Thores, hoc eſt ex Hyæno & Lupo genitos, Pantheras, Struthiocamelos, & prẽter multa Serpentum genera, Ceraſtas & *Aſpidem*, cui peſti Ichneumonem minimum *Animal* Natura oppoſuit. Cervus autem & *Aper*, eodem teſte, prorſus in *Africa* nullus eſt. Baſiliſcum etiam alit *Africa*. Quæ de eodem narrantur, fabuloſa quidam ſuſpicati ſunt. *Atqui* Leone Pontifice conſtat ad ædem Luciæ ſub fornice ſtabulatum Baſiliſcum, cuius adflatu magnâ lue Roma adfecta fuit. Sunt & varia monſtrorum genera quorum diverſitatem multitudinemq; inopiæ aquarum adſcribunt, ad paucos ſive amnes ſive puteos congregantibus ſe feris. *Africam* Romani diviſere in provincias ſex. *Proconſularem*, in quâ Carthago: *Numidiam Conſularem*, *Bizacchium*, *Tripolitanam*, *Mauritaniam Cæſarienſem*, & *Mauritaniam Sitiphenſem*. Ptolemæus initio lib. 4: duodecim eius Provincias ſeu Satrapias numerat, *Mauritaniam Tingitanam*, *Mauritaniam Caeſarienſem*, *Numidiam*, *Africam propriè dictam*, *Cyrenaicam*, *Marmaricam*, *Lybiam propriam*, *Aegyptum Superiorem*, *Inferiorem*, *Libyam Interiorem*; *Aethiopiam ſub Aegypto* & *Aethiopiam Interiorem*. Leo *Africanus* totam *Africam* dirimit in quatuor partes, *Barbariam*, *Numidiam*, *Libyam*, & *Nigritarũ Regionem*.

Sed

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 2020, [20] - 10
PUBLIC DOMAIN